

868.

1275—1278.

Bisk. ERICS och Dom-Capitlets i Skara Vidimation af Påfv. GREGORIUS X:s Bulla.

A. r. d. 71.

Uniuersis christi fidelibus presens scriptum jntuentibus Ericus diuina miseracione. Scarensis episcopus. Totumque capitulum canonicorum eiusdem sedis. Salutem in domino sempiternam. Noueritis scripto presentj nos uidisse & de uerbo ad uerbum diligenter inspexisse Litteras domini pape inferius annotatas, non cancellatas. non abollitas. nec in aliqua sui parte uiciatas sub uera bulla & filo integro. quarum tenor talis est. Gregorius &c. *se N:o 590.* In huius rei testimonium sigilla nostra presentibus duximus apponenda.

Båda Sigillen bortfallna, linnetrådarne qvar.

869.

1275—1290.

Kon. MAGNUS I:s Bref till Helsingarne om nya gårderna, och om bruket i några delar af Riket att vårtiden utlåna korn, som höstetiden skulle betalas med lika mycket hvete eller råg.

A. 7. a. 3: 1.

MAGNUS dei gracia Sweorum Gothorumque rex. Vniuersis ac singulis helsingiam habitantibus, presentes litteras visuris vel audituris, salutem in dej filio ihesu christo. Dignum equidem esse dinoscitur, de receptis curialitatibus, laboribus & obsequijs, ne ingratitude nota censeatur, saltem gratiarum vicissitudinibus respondere. Pro obediencia igitur & obsequio, fauore & fideli seruicio nobis tempore regni a deo nobis concessi, fideliter & humaniter exhibitis, vobis omnibus cuiuscumque sitis dignitatis, status, conditionis vel ordinis, ex intimo corde gratiarum referimus actiones. Monentes instantius affectuosiusque rogantes, Quatinus hoc idem fidelitatis & obsequij vinculum, erga dilectam vxorem nostram & prolem, singuli velitis in posterum firmiter & inuiolabiliter obseruare. Ceterum siquid commode & utiliter erga vos in diebus nostris gestum est, id reuocare velitis ad memoriam, siquid factum fuerat in contrarium, ex corde penitus dimittentes. Proinde patere volumus vniuersis, Quod ne videremur in regni regimine a progenitoribus nostris & predecessoribus notabiliter deficere, set vt procederemus sicut consuetum est & honestum maiestati regie, nec ad hoc nobis expense proprie suppetebant, tum quia regnum vt liquet omnibus, in guerra, tempestate, deuastacione, & desolacione magna, quibus etiam succubuit longo post tempore suscepimus, tum quia nichil de hijs optinuimus que pater noster

ster suo tempore congregauerat, tum etiam quia milicia maior erat, & ampliora requirebantur stipendia, idcirco plures a vobis erogaciones extraordinarias & inconsuetas requisiiimus, quas omnes vos exsoluisse recognoscimus de gracia non de iure. Quare vobis vniuersis ac singulis humiliter in domino supplicamus, quatinus in hoc nobis velitis parcere, & sic vestris de cordibus omnino dimittere, vt non nobis hoc coram summi iudicis oculis inputetur. Insuper quia consuetum fuit in aliquibus regni nostri partibus, ordeum accommodare in vere, & in autumpno tantundem tritici siue sili-ginis pro recompensacione recipere, idque aliquo tempore nostri regiminis factum fuerit quousque hoc esse necatum nobis innotuit. Deinceps etiam